

h. II. 14. Q.K. 2, 14.

(X 1883938)

h

II n  
2993a

# VVITTEKINDVS MAGNVS,

*Publicae luci expositus*

## CONRADOSAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,<sup>a</sup>


CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

---

Disputatio XXX.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.  
cl<sup>o</sup> I<sup>c</sup> XCIX.

3





I.

**M**Agnum semper VVittekindi nomen, ac non modo apud suos, sed etiam apud hostes gloriosum fuit. Fortitudo ingens, et admirabilis exemplo, iamdudum habuit pretium defensae libertatis. Fortuna qvondoqve diversa apparuit, et dispar instituto exitus.

II. Is gentis suaē Dux, animo, imaginibus inclutus, et virtute militari quasi telo nixus ad tuendam Rempublicam Saxonum accessit. De indole nomen, (a) de animi dotibus egregia consulta, de prudentia res gestae testantur.

(a) *Plures VVittekindi ante VVittekindum nostrum memorantur. Noster cognomento Magni a ceteris discernitur. Illos exhibet P. Albinus in libro amplissimae progeniei VVittekindeorum, cui titulum Stambuch praescripsit. Meminerim vero hic, caute legendos esse novitos Scriptores. In aliis credulitas notanda, in aliis maior diligentia optanda. De VVittekindo Sualemburgio nō affero. Dasenburgius ille quoque hic alienus est. De hoc vid. Helm. l. 2. cap. 7. Alius enim a nostro fuit. De quo prodidit quaedam Arnold. Lubecens. l. 2. cap. 27. Nec huius disquisitionis est VVittekindus Stumpenhusen, quem afferit Abb. Stad. A. 1167. Sed venio ad nomen. Hoc revera unum, scriptio diversa. In M. Chro. Belg. scribitur VVintbichindus. Apud auctorem vitae Kar. M. VVidochindus. in A. Franc: aliis VVedekint: Nonnullis VVittokint: multis VVidikind. Adoni Viennensi in Chronic. VVitichingis et VVitigingis: Adamo Bremens. H. E. lib. 1. cap. 9. VViducbind. Autor scriptiois, quae ad oram extat, VViducrad expressit. Apud Marian. Scot. ch. lib. 3. art. 6. ad. ann. 778. Vindibindus. Haud dubie errore quodam. Ergo procul odio atque adulazione tradam. Origo nominis, quod olim ad cieodos Saxonum animos efficacissimum fuit, significanter iuxta et praclare indicat sapientiae filium. Teutonicum vetus esset Witte·Kind / vel*

A 2

Wite

**Witthet-Kind.** Huc pertinent veterum commentationes advocabulum **VVitta.** De quo multa reperias apud intelligentes Teutonicae antiquitatis. Tantum hic moneo reperi, qui commutatum **VVittekindi** nomen putent a Praesule illo, ut credunt, qui fonte sacro abluit, impositum. In his familiam dicit Siffridus Petrus. Sed ne unus Scriptor stat pro Siffrido, Destituunt hominem monumenta, monumentorum fides.

III. Patria Saxo, (b) ditione Angrivarius, (c) origine paterna VVernekinides, (d) Princeps inter Saxoniae Principes, (e) nominis indicio prudens, omine bellator, consiliis, exemplo maximus.

(b) Multae de hoc nomine lites. Ex solido decidit Reineccius. Post Reineccium alii. Multi etiam ante eum. Vetus sane Saxonum verbum **Saten** vel **Gassen**. Hoc indigenarum, hoc Aborigine notione signandum. Argumento vox **Holsatorum**. Idem est **Holtzaten** quod **Holtzesessene**. Sed vero extant, qui ducunt a **Cattis**. Mirum vero, cur a **Cattis**. Nam quantum **Catti** ab **Hassis**, tantundem **Catti** a **Saxonibus** differunt. Qui Danorum Nordmannorumque fuisse posteros tradunt, fortasse ludunt. Explodendi, nisi ludant. Qui a cultello **Sahs**, aut telo **seaxes**, dictos putant, lepidi magis sunt, quam ferri. Inter hos **Georg.** **Hornius** et **Ioannes Troster Transylvanus** extant. Ante hos **VVitechinus** **Corbeiensis**, **Annal.** lib. 1. Abb. Stad. ad A. 917. Nibilo accuratiore, qui a **saxo**, aut **saxea** natura derivant, ut **Cbr.** **Isennacense**, et quotquot hoc sequuntur. Nolim enim committere, ut decus nostrae genti concilietur inepto nominum lusu. Gloriam ex se habet. Ab ascitis nominibus non quaerit; non mutuatur. Quin inter inania habet hanc curam, quae prodigia melioris curae est.

(c) Vetus ditio: neque angusta, et valida viris. Incolae **Angarii**. **Angrivarii** aliis: quibusdam **Angri**. In chronicis plerisque **Angiri**. Recentioribus **Engerani**. Nomen planitiem campi designat. Hic vicus **Engern**, ubi sedes, tumulus, insignia quondam **VVittekindi**. Hodie nil praeter ruderare reliquum. Celebrem ab eo titulum haesisse aiunt Nostros. Formula haec est. **comes Angriae et Dynasta (Dominus) Iburgi**. Formulam tradit **Cyr. Spangenberg** in **Chron. Sax.** Nec non **Elias Reusnerus** in **Genealog. VVittikind.** p. 12. praeterquam quod hic addit titulum **Rugiae Principis**. At non reperio, quod Saxonibus cum Slavis, Angris item **VWestphalisque** cum **Rugis** commune fuerit. Quanquam **Andreas Angelus**

gelus non dubitat in Chron. Holsat. p. II. confirmare de Holsatis, eos VVittekindi maioribus posterisque subditos fuisse. De Iburgi origine tradit quaedam Siffricus Petrus. Sedes ibi ad nostra usque tempora Praesulius Osnabrugensis. Arx Engerana hodie non colitur. Saltem vestigia supervent. Atqui vero hic dispiciendum, an forma dictio[n]is sit ex usu veteris aevi? An quadret ad antiquissimum Saxonie statum? De quo videbo alibi, et ita videbo, ut nil VVittekindo, nil VVittekindeorum existimatio[n]i, iuribus, gloriae detrahatur. Hic insitus patriae amor fuit haec tenus, erit in posterum. De castro VVittekinsburg ad ripam Visurgis sito vid. Chron. vetera, et Spangenb. An. 785. Nec poenitenda hic operae fuerit evolvere, quicquid non ita pridem insigni opera annotatum in Monumentis Paderbornensibus est. Ceterum de figura insignis gentilitii, quod sumptum ab Angrivariis est, vid. P. Albinus Stamm. Vtrum illud VVittekindei et nostrates, qui ex VVittekindo per Ditgremum descendunt, VVetbino-Misnici unquam usurpaverint, ingentis materia disceptationis est: vid. Albinus c. I. p. 294. et 463. Spenerus insign. famil. Saxon. p. 24. 25. Io. Iac. Chiffletius, alii complures. Vnum, quod publicae interest rei, non omissendum. Amplissimus ille Angriae Ducatus concessit in potestatem Archi-Praesulius Coloniensis. Sed quo titulo? Novum hoc argumentum, eoq[ue] alibi investigandum. Vellem accurate investigasset autor personatus Mantissae p. 115. Ernestus Comes Mansfeldius, gente perinde atque eruditione insignis, in Panegyrico Henrico Aucupi dicto p. 21. ab Seculo X. repetit, et Brunonem Ottonis I. fratrem primum fuisse tradit, qui Angriae VVestphaliaeque ducatum coniunxit cum Coloniense Praesulatu. Nolim accedere his partibus: quin putaverim, ista banc coniunctionem de Lotharingiae, non Angriae Ducatu intelligi oportere. Haesitatque ipse huius sententiae autor, quum non multo post recitat aliam opinionem, cuius summa est, quod Fridericus I. in ius atque dignitatem illius pro dimidia ducatus parte inaugurarisset Philippum Comitem de Heynsberg. Chronica Coloniensia vocant Philippum de Castro Hemesberus oriundum. Eovid. Monach. Nuss. Chron. p. 162. et Abb. Stadens. A. 1180. Conf. Crantz. Metrop. l. IV. p. 97.

(d) Cyr. Spangenb. Chron. Sax. A. 786. P. Albinus Stamm. Spem. Syllog. gen. hist. in famili. VVittekind. Qui aliis VVernekin, multis VVerneike, Chytraeo VVernechin scriptus in Chron. Sax. cum Latinae, tum vernaculae editionis. Addatur Iob. Tob. VVeller. E.R. p. 157.

A 3

(e) Re-

(e) Rectores Saxonum primores olim dicebantur. Titulus huius nominis ex G. Urspergense et Gobelino, scriptoribus bonis, depromptus. Urspergensem, ut solet, sequitur Abb. Stad. an. 777. Saepe Dynastae. Nec raro Satrapae: aliquando etiam potentes Regionis dici solitos, pro certo babeo. Quod ostendere est ex Beda, Niemio, Frodoardo, Rolevincio, Chron. Osnabrug. et Mindensi, quibus multum tribuo in hac causa. Ditmarus Merseburgensis, qui regis elogio ornat, corrigendus ex annali- bus Francicis et V Vittekindo Corbeiae Monacho est. Ceterum, divisi Saxonesserant. Pars adepti Ostphalorum sive Orientalium nomen; Pars VVestphali sive Occidentales appellati. Alii Angrivarii memorantur. Saxonessegressi trans mare buc non pertinent: Regnum enim condiderunt, non rem publicam, quatenus a regno distinctam. Hinc ortum antiquitus Saxonia transmarinae nomen, idque hoc loco alienum, quia Angliam denotat. Redeamus ergo ad nostros, qui non migrarunt in Britonum insulam, ac patriis adeo finibus se continuerunt. Tres Principes Gentis audiunt apud Monachum Corbeiensem. Horum alii aliam Gentis partem moderati. Horum diversae sedes, diversa quoque Respublica fuit. Suum quaeque ius imperandi pro se habuit. Nulla ab alia pependit. Sua singulis suprema potestas, suprema statuendi facultas. Quanquam alia rogarere aliam subinde et asciscere in foedus poterat, imperare tamen nunquam poterat. Imperii administratio non dissimilis apparuit. Haec proceribus commissa. Eodem apud omnes instituto, eadem ferme iuris forma. Idem Procerum numerus apud Angrivariorum, qui apud Ostphalos et VVestphalos. vid. post VVitichind. Beda, Crantius, aliisque. VVinkelmannus, nescio an sagaci coniectura, moris huius vestigia ex Tacito deducit: Notit. Saxo - VVestphal. p. 200. Apud singulos eorum tres Principes viguerunt. Nec pauciores admissi, nec plures. Res certa de illis. De his eousque, donec ordinariis Reipubl. regendae momentis standum esset. Bello laceriti praeter hos extraordinarium belli Praetorem designarunt. Hic forte electus, nec nisi tempore ingruentis publicae calamitatis. A populo, dubium, an Proceribus aequalibus. Hoc Meibomio in Vindiciis Billinganis: illud mibi videtur. Extra ordinem illud munus erat, et cessante belli causa quoque cessaturum. Vulgo Terarchas (quod Ciceronis, Salustii et Velleii ex Graecia mutuo sumptum vocabulum est) nominant. Hos quantum capio, vel seorsim numerant, vel summatim. Illo modo IVros, hoc XIIros signant. Sed id non per-

inde

inde certum atque dictum. Dictum vero a multis. Scriptum a Cyriaco Spangeb. Chr. Sax. A. 772. G. Fabritio, auctore Mantissae ad Infr. Pacis, Georg. Christ. Stirnio, aliis. In hanc rem all. gant Chron. Anbalдинum, quod haclenus non vidi. Plura tamen vidi, edita partim, partim non edita, in quibus nil tale reperi. De cetero extraordinarii illius Ducas administratio paulo liberior, et ut in schola loquuntur, absolucionis erat, quam eorum, qui ordinarium gerebant magistratum. Praefinita tamen respectu temporis, ut auctor gravissimus est VViteckinus, et post bunc Crantzus in Sax. l. 2. p. 45. et Henricus Bunting. in Chr. Bruns. p. 27. Hos primores comparavit Albinus in aulaeo Vet. Sax. cum Epboris Spartanorum. Cum illo facit Fabricius, qui fere aequavit Tribunis Romanorum. Id vero non ausim in solidum probare. Causas dicere malo, quam scribere. Qui eos cum Electoribus Imperii conferunt, digni sunt, cum quibus exposituletur. Sed haec nemini non sunt obvia.

IV. Publice quoque egregius, nec minor privatus, eundem domi, quem militiae animum habuit. In praelio cautus, in castris promptus, sub pellibus nunquam timidus, nunquam otiosus. Patiens idem iuxtaque impiger, et quanto minus inter lautitias enutritus, tanto magis tolerans adversorum. Dignum Heroe Saxonico exemplum. Dignum, quod admirantur posteri, dignum, quod Saxones imitantur. Quid vero opus svadere? Me non svadente imitati sunt, \* me non svadente imitabuntur.

\* Dabo hic Fridericum strenuum, qui solus sustinuit nutantes res Sigismundi Imperatoris. V. T. VII. H. Aug. p. 405. et monumenta Oschaziensia: Albertum Animosum, Principem Camillo excelsiore, cuius res praecclare condidit Michael Boiemus, et versu scripsit Conradus VVimpina, ac praeter bunc Michael Bartb. Annaberg. l. 2. p. 40. et 41. Fridericum III. cuius et industriam, et consilii solertiam approbarunt omnes, quum rationes repraesentaret concinnandae imperatoriae sanctionis, quia velut dominatus fraeno tenerentur iuveniles Caroli V. spiritus: ap. Sleidan. l. 1. Comm. ad A. 1519. p. 15. et 17. coll. Mauritium, qui unus Carolum V. plus ultra tendentem stitit in cursu victoriarum, stitit in via dominationis. Eumque vindicavit adversus cri-

mi-

minationes Ioannes Fridericus Brandt, Cornelius Crullius, aliquo: Augustum, ingenii ac regendi artibus maximum, cui Ferdinandus I. idem quod parenti debuit, quemque in fratriss loco habere non piguit Maximilianum II. vid. Peccenstein in VVittik. prosap. in Aug: Ioannem Georgium I. Caesari fidum, quoad fides et fortitudo aestimabantur: dignumque, cui ille a septentrione heros Gustavus Adolphus dextram fidei religionisque ad ultima tuendae testem iungeret, imo quem iure iratum non multo post demereretur iterum Caesar, ac filiis ab Augusta stirpe editis Pragae repraesentaret ut Patrem, ipse vero coleret denuo ut amicum, et appellaret suum.

V. Ceterum VVittekindus Dux et autor Saxonicae libertatis, vinci aliquando potuit, domari nunquam. Quidque vehemens et proposito insuper firmus, et tenacissimus avi- ti moris, fortunam, fortunae ictus omnes elusit. Nulla re magis irritatus, quam ob violata sacra suae gentis. (f)

(f) Eginhardus cap. 7. de vit. Carol. M. Vb. Emmius Hist. rer. Fris. Cyriacus Spangenb. A. 772. Chron. Thuring. et Merseburgense, a Merseburgo VVestphaliae oppido appellatum. Inter exempla fanum Ir- mensulae, quo diruto, concitatus magis in hostem est. De eo vid. Regino Chron. lib. 2. ad anno 772. Fanum id Eresburgi (aliter Merseburgi) positum, Reginoni Hermensaul appellatum. Addatur Lamb. Schafnaburg. ad ann. eund. Abb. Stadens. ibid. Aut. vit. Kar. M. p. 237.

VI. Pater ei VVernekinus, (g) Princeps minime fa-ctiosus, et retinens pacis. Frater Bruno, similimus patri, idemque creditus Augustissimorum Stirps Ottonum. (b) VVernekini ex fratre Adelhardo filius Albigo, (i) VVittekin-do rebus secundis adversisque socius, et heros ut vultu, ita fide semper idem. Neque tacuerim de Hermanno fratre Albigonis. Vterque ruentem propinqvi fortunam fulcire ausi. Nusquam ignavi, et nitentes pro salute nostri. Quidvis etiam passuri potius, quam intercidere dignitatem suae gentis. His factum rebus est, ut manu, armis, consilio ex-perirentur pro necessario, pro suis, pro se ipsis. Omnium

ma-

maxime eluxit industria Albigonis. Hic VVittekindum defendit, VVittekindus illum : Vterque utriqve fidus. Velle idem : nolle idem : causa eadem, nec opera dissimilis.

(g) *De familia videoas licet, ubi familiae originem teximus.* Est tamen aliquid hic observatu dignum. Quod eo pertinet, ut sciamus, certissima eius capita sumi ab aevo Carolino. Ante hoc fuisse stirpem VVittekindi. Floruisse etiam. Sed defuisse, qui recenserent diligenter, qui seriem traderent accurate. Adeo dolendum, quaedam praesumi, alia colligi, pauca sciri ante Carolingicam aetatem. Sed fatum illud antiquorum seculorum fuit, ut aut exteri scriberent de Saxonibus, aut hostes. Ibi invidia, hic inscitia laudes gentis obscuratae. Illustrandae demum, si Saxones Saxonum res gestas tradidissent. Sed alio loco recitandum de hoc argumento est. Hic delibasse aliquid sufficit. (h) Autor sententiae *Agricola*. Hunc Fabricius, Fabricium ex novitate multi sequuntur. Praeter illos in eandem adducti sunt opinionem Cyr. Spangenb. Georg. Spalatinus, Dav. Clytraeus, Mart. Crusius, Christoph. Entzelius, Leonb. Crantzheimius et complures. Ab his dissentient Monachus Pirnensis, Irenicus, Brotius, Crantzius, autor Chron. Veteris Brunsvicensis, Chron. Provinciale Misniae, Guttenberg, Beutherus, Elias Reusnerus, ille vasti Stemmatis VVittekindi conditor, qui Ottones Augustos a Brunone, non fratre, sed nepote VVittekindi M. deducunt. Interim videatur Genealogia Alberto Stad. inserta ad p. 115. quae ex probatissimis contexta autoribus est. Ceterum VVittekindi M. pronepos est Luitdolfus, qui vulgo Ludolfus, Pater Ducis Ottonis VVittekindi abnepotis, Otto iterum Henrici Aucupis, Henricus Auceps Ottonis M. Imp. Testatur hoc Mon. Corbeiensis : addatur Sigebertus, praeter eum multi. Luitdolfum autem per VValbertum Patrem et VVichbertum avum recta serie proficiisci a VVittekindo, vel ex solo Abb. Stad. an. 917. constabit. Addatur Ernesti Comitis Mansfeldii Oratio panegyrica p. 4. Alios allegare supervacaneum. Vnum addere non piget, primum stirpis non VVittekindeae Ducem in Saxonia fuisse Her-

mannum Billngum. Vb. Emmio Hermannus Billichius audit, hist.  
rer. Fris. l. VI. A. 1110. Redius Billingus, sive Billngus, Ducatus  
ab Otono M. donatus. Ultimus Billingorum nomine Magnus, sine  
prole mascula defunctus. Abb. Stad. A. 1106. Conf. Andr. Severi-  
nus Velleius Not. ad Adamum Brem. H. E. l. IV. cap. II. Notat  
hic Spenerius, Ottonem M. de sua familia minus meritum bene, in  
Insignib. Saxon. sect. 1. §.7. Excusat id vero Meibomius in histo-  
ria Bardevici. De quo alio loco iudicandum. Non satisficit hic  
P. Lambecius, quum Saxoniae primum Duce vindicat Billingiu-  
m. Cum iam multo ante Saxoniam habuerit Duces. Non attin-  
go, quomodo ibi impingat in novos scopulos, et turbet rivos publi-  
ci Iuris L. 2. Rer. Hamburg. p. 4. Sed mitto Billingios. Rever-  
tor ad VVittekindeos. Atque hic mirari subit novitios, qui tra-  
dunt, Henricum Aucupem Regem, atque Ottones Imperatores mi-  
nus vere a VVittekindo arcessi. In his numerandus auctor Not.  
Rer. Imp. Rom. Germ. p. 1. d. 20. p. 369. Unicum illi praesidium  
in silentio VVittekindi. Sed minime duraturum, cum in rebus ad  
historiam pertinentibus non facile, quod a silentio colligit, admit-  
tatur. Hoc minus, quod pro nobis stant annales, Chronicli libri  
multi. Aliud scripsisset, si vel solum Fabricium Albinumque legis-  
set. Ut nihil de antiquis commemorem. Nec mouet nos, quod  
recentiores plerique multum dissident a nobis. Faciunt quippe  
contra alii nobiscum: in primis ex recentioribus Philippus Jacobus  
Spenerus in Syllog. Geneal. Hist. sub tit. Familiae VVittikind. Sa-  
xon. Ceteroquin est non nemo occupatissimus animadversor ori-  
ginum Germaniarum, qui dubitare hic mavult, quam obstinati-  
us negare. Qui cur ex eo, quod Detmarus de serie huius generis  
racet, nil adversum nobis inferat, facile est intellectu. Saepe enim  
praetereunt historici quaedam, non quod negent, sed quia, ut se-  
res dant, alio spectunt stylum. Addo hic de Crantzio, non satis  
sibi constare, cum memorat, Henricum Aucupem primo omnium ti-  
tulo Duci Saxoniae praefuisse. Et tamen iam diu ante Hen-  
ricum Saxoniae praefuerunt Duces hoc titulo, hoc iure, his insignibus.  
Nempe describere alios, obliuisci sui, perperam allegare quaedam,  
Crantzio non rarum. Unum cuperem VVittebindum Corbei legisset.  
Aliter, opinor, scripsisset.

(i)

(i) *Albigo, alis Albigo, nonnullis Albio, multis Albion, Germanis Chorographis Alvvig, vel Adelvvig. Quibusdam Abbon vel Addion signatus. Cyr. Spangenb. An. 785. Eius insigne extat apud P. Albinum Stamb. p. 450. Vbbo Emmius, cetera probatus scriptor, et ut observo, optima Chronica secutus, VVittekindi fratrem vocat. Minus vere, nec in bac parte excusandus, nisi figura quadam locutus.*

(k) *De exitu huius memorant varii. Caesus in octava Caroli M. adversus Saxones expeditione. Bouckholt locus stragis. In vetustissimis annalibus Botolz lego. Legunt tamen alii Bobbot. vid. Aut. vit. Car. M. p. 244 Spangenb. Baucholz reddit. Nec inscite genius hic Tiotiam cultioris est. Videatur is ad A. 779.*

VII. Generis, quod in nostro se extulit, duo extiterunt munimenta, VVittekindus II. et VVichbertus. (p) Vna horum mater, Svatana celebratur, progenies Czechi. Haec altera VVittekindi Magni uxor: altera, cui Evae nomen, iam ante accepta est a Cimbris. Summam vero Pater operam posuit, ut filii redderent Patrem. Praecipuum solitudinis argumentum erat, disciplina. Bello iter ad gloriam ostensum. Materia virtutis sive in pulvere, sive ad palum crescebat. Hinc singendis animis robur: hinc firmandis corporibus grande adiumentum venit. Patri curae, filiis obsequii pretium insigne redditum fuit. Imitamini Principes. Enitimini, exemplum exprimatis exemplo. Si omnia ruant, hoc solo vitabis ruinam. Stabitis invicti, stabunt Principatus. Florebitis Vos: florebunt Vestri, florebunt posteri Vestrorum.

(l) *Ambo benesta progenies Patris. Foedat Niemius hanc laudem. In ruborem dare Niemium quilibet post. Genuit honeste filios VVittekindus. Genitos bello, patientiae, optimis in magna fortuna artibus assefecit. Spurium nullum habuit. Habuisse vero afferit Niemius. Sed nugatur, mentitur Niemius. Vel solus VVitechindus Corbeiensis sufficiat homini coarguendo. Vxo-*

res habuit duas. Prior Eva, Danicae stirpis. Huic Patrem vindicant Gormonem I. Si tamen vindicant recte. Alii destinant alium. Plurimis genitor Gottricus Gormonis, si probe tradunt, filius. Hic multis Gottfridas appellatur. Nonnullis Seifridi, et si paulum inflectas, Sifridi nomine effertur. Autorem habemus Svaningium, qui ut alias Scriptores suae gentis, ita hic forte Albizium secutus est. De nominis varietate excipi assensu sententia potest. Ceteroquin suspectum, quod de Gormone I. traditum, Chron. Dan. An. 757. ex Saxone Grammatico, et Huitfeldio. Suspecta mibi Saxonis, et qui Saxonem hic colunt, fides. Rectissime Emmius, Frisiorum doctissimus, pronunciavit dudum, Saxonis Sialandici annales, praesertim de seculis illis priscis, Poesia magis, quam bistoriam sapere A.C. 809. Id optarem quoque expendisset Petrus Lindeberg in comment. rer. memorab. ex biblioth. Ranzov. cum monumento Frotonis differit. Quid de monumento Gormonis III. quod idem eodem libro exhibuit, sentendum fit, promptum est iudicare eruditis. Parum ergo praefert certitudinis, quod promittitur de Regibus Danicis ante Gottricum. Ut vero sit mihi simile, Ewanam Gottrici Filiam fuisse. Ewanam scribimus in contextu operis. Aliis Geram scribunt, ut Cyr. Spangenb. Ant. Albizius, Hen. Buntingius, novitii complures. Sed scribant, nos aestimemus antiquissimum utriusque gentis decus, amicitiam a multis seculis cultam, necessitudinem matrimonii ab ultimis, quantum recordamur, temporibus innixam. Nempe iam olim Danis Saxones, Saxonibus Dani connubio iuncti. Repetitum novissime sancti foederis exemplum in Sereniss. Ioanne Georgio III. est. Posterior coniux Svatana (aliis Svaterna) Ducis, ut tunc erat, Bohemici filia. Huius et auspicatum, et foecundum matrimonium fuit. Quod ex Eva genitum, praemastro eruptum exitu est. Ex Svatana maior natu VVittekindus, patris sui cognominis filius. Vulgo VVittekindus. II. ut locus discrimini esset, appellatus. Alter VVigbertus, aliis VVigbrechus, aliis VVipprechtus. Idem eius nomen. Formaliterarum nominis saltem diversa. Vtrique uterque legitimus Parrens. Origo eminens, vita ceteris exemplum, fortitudo supra fidem, matrimonium sanctum fuit. Honestus pater, honesta mater, non nisi honestam procreare sobilem possunt. Quinebat, ut criminatur

netur, improbus, qui nescit, et crudelare tamen Niemianas ineptias audet, omnium ineptissimus debet censeri. Sed unum tacere hic nolim, VVigbrechtum Hasalae germanum fratrem, quem ex Eva suscepit, non esse confundendum cum VVigbrechto VVittekindi II. germano. Quod si ignores, facile nebulas offundet Chron. Brunsvic. Henr. Buntingi p. 26. Propterea hoc distincte expedivit Albizius in genealog. Ottonum.

VIII. Libera qvondam gens, liberi mores gentis viguerunt. Populus belli alumnus, propago populi Martia, Respublica popularis. (m) Procerum magis consilium valuit, qvam imperium. Munus, qvod gesserunt, legibus circumscripsum, potestas a populo, autoritas a bello fuit. Nullum ius heredibus innixum. Praetura belli collata ad tempus. Res Imperii in concilio populi decisae. Regiminis firmamentum populi nutus, Procerum cum populo consensus. Hoc veteris Saxoniae ingenuum erat. Caruit regibus antiquissimo illo aevo. Sequiori demum tempore auditum nomen regum, usurpata regia potestas, (n) Acciti a Saxonibus reges. (o) Nec reges modo, sed etiam Imperatores.

(m) Pugnant cum historia, quae ad hoc argumentum recensuit Siffridus Petrus, praeter hunc Novitiis quidam. Ille diplomata allegat manifestae falsitatis. Saxoniae (vetustissimae illi) Dominos imponit praeter verum. Hereditarium in Saxones ius defendit contra annalium fidem, VVittekindum beneficiarium facit nullo veritatis argumento. Eundem funibus vinclum ad Carolum venisse, non memorat, sed fingit. Excusfit iam olim sententiae vanitatem Emmius in Apolog. refut. et verit. assert. Sed in proclivi est refellere sententiam Siffridi. Nobis assentiuntur omnes probi Scriptores. Diplomati Siffridaeo diplomata opponimus, sed quae sint sine naevo. Nova illa et plena commentis vitio ruunt suo. Nostra invicta sunt, et secura adversus ruinam.

(n) Quae Tacitus in parte libertatis, liberorumque comitiorum, de Germanis, eanos de Saxonibus affirmamus. De illis iam

dudum Conringius, post hunc novitii, novissime Multzius, cap. 6. in diff. de libertate, ut inscripsit, omnimoda exposuit. Nobis reddere scripto, quae scripta ab iis sunt, praeter instituti leges visum. Ut Saxonum eadem, quae ceterorum Germanorum, ita nec diversa Frisiorum, in doles fuit. Vtrobique liberos gentis spiritus observo. De Frisiorum ingenio monumenta suppetunt multa. Res imperii omnes voluntate populi gestae. Argumenta in comitiis, quae dicebantur, Vbشتalbomicis plenissima lucis, plenissima libertatis. Signavit ea Vbbo in Fris. descript. In Comitiis latae leges. Idem legibus, quod Comitiis inditum nomen. De his ex Vbbone monuit Conringius c. 28. de Orig. iur. Germ. De Saxonibus addere non vacat. Tantummodo meminerim, cur Tacitus nil prodiderit de Saxonibus sub nomine Saxonum. Cum non multo post de iis recitaverit Ptolemaeus. Sacarum enim illud Sassenumque nomen bandubie Saxonum est. Aucta enim Sec. IV. nominis fama, aucta gentis gloria in immensum est. Interea sufficiat Saxonas Tacito sub titulo Cheruscorum atque Angrivariorum, innotuisse. Videatur A. I. II. XI. XIII. et lib. de Mor. Germ. Nempe II. et III. Seculis respirarunt a bellis nostri Saxones, donec Sec. IV. sub nomine Saxonum negotium facesserent Romanis: sed haec et id genus alia diffuse persequimur in Historia Germanica MSpta.

(o) Palam est, Henricum Aucupem Saxonem, et prognatum VVittekindis Regem fuisse. De Rege hoc Albertus Abbas Staden sis pronunciat hunc in modum. Natus est Ottoni filius, nomine Henricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia. Ann. 917. Nec eo secius manifestum, Henrici posteros in fastigium Imperatorum subiectos. Ut recte scriperit, quisquis tandem nuper Gallice scripsit, Saxoniam Domum ab ultimo tempore augustis decoribus fundatam proclamque esse. Vid. Suite de Europe Vivante, sub tit. SAXE.

IX. Respublica, reipublicae facies, regendi rationes ostensae. Habet posteritas, quod aestimet, habet quod miretur. Rector ibi populus, defensor populi VVittekindus, Dux fato monstratus, et a cladibus ad maiorem impetum surrecturus. Idem huic, quod populo, odium ser-

servitutis : idem amor libertatis. Vna meta, aut vincere, aut mori. (p) Heros, si non hostium semper, tam fortunae domitor suae. Nunquam a se diversus. Idem victor, qvi victus : excipere pericula et ferre paratus. Inter adversa constans, et firmus contra ambiguos eventus. Animus in dubiis maior, impetus vehementior post stragem notatus. Alii expectare pericula, ipse provocare maluit, nullo territus casu, nullo metu depresso. Audere, experiri pro suis, inferre hostibus gradum, irruere in obvios, perrumpere ordines militares, eximum fortitudinis apparuit monumentum. Demum permettere fatis exitum, constantiae iuxta et patientiae argumentum fuit. Huius complecti res gestas arduum multis, vix possibile aliis est visum. Mihi excusatio a conatu, votum pro viribus erit.

(p) *Verba Legatorum Saxonorum apud VVittichindum.*  
*Aliam, inquiunt, causam nullam Saxonibus esse scias, nisi vincere velle, aut certe vivere nolle. Huic maiorum virtuti, si quisquam, institit VVittekindus, Dux suae gentis. Scriptores rer. Francic. et qui hos sequuntur, multo aliter, quam volumus, actiones VVittekindi interpretantur. Nunc fidem vellicant, nunc rerum novarum studium, nunc denique tyrannidem exprobrant, A. Fr. saepe tori genti imputant, quod alii uni VVittekindo A. 775. Conf. Ad. Bremerf. l. 1, cap. 9. Abb. Stad. A. 775. et 782. Nempe subfdium ab armis, ultiō ab amore patriae profecta est. Diserte scribit Abb. Stad. Saxones non praedandi occasione, sed ulciscendi, Francorum terras populatos esse. A. 778. Et reperias nibilominus Scriptores, qui imbecilitati indulgent, nimis acuente odium odio paganae religionis. Sic frustra sunt, qui rebellionem exponunt, cum quis nititur contra dominatum, cum pertinacissime insistit suo iuri. Dandus religionibonē: nec tamen propter eam iustitiae illudendum.*

X. VVittekindi initium felix, dignitas magna, nec peior progressus, exitus saltem, si divina spectes, felicissimus fuit. Carissima Duci libertas suorum : servitus subinde

me-

metuebatur. A tributis taedium, a vexationibus odium nascebatur. Exempla maiorum animo inhaerebant, (q) praesentia oculis obversabantur. Spirabant bellicum Franci. Praetexebatur religio; (r) forte dominatio tegebatur. Factum his rebus est, ut qui olim colebant amici, (s) iam hostes in se grassarentur. Nempe fatale erat Saxonibus Carolingorum nomen. Nihilo mitius omen in Merovingis habuerunt. Auxilium offensa, beneficium odio quandoque repensatum.

(q) *Sufficiat nominasse Theodoricum Regem. Hunc defenderant adversus Thuringos: Sed mox exuit Francus fidem, iamque conspirat cum Thuringis. Mox deliberat de Saxonibus opprimendis. Oppressisset, nisi Saxones rescissent dolum. vid. Monacb. Corbei. Ann. i. et ex eo Albin. Stamb. p. 38. Etiam licet referre de Dagoberto. Quod in fide Theodorici, in buius mansuetudine desideramus. Produnt de eius in Saxones crudelitate VVern. Rolevvinck in Fascic. temp. Sext. aet. et Sigebertus Gemblacensis ad A. 630. Qui tamen paulo ante, quam vivis excederet, tributum Saxonibus remisit, ipsorumque auxilium accivit adversus Slavos, id. ad A. 642. Incusat tamen ex Aimino Saxones Goldastus de reg. Bob. l. 2. c. 2. p. 109. Nempe incusat non servatae fidei: imo et ego incuso Francos non servatae moderationis. Non desunt causae nostrae subsidia firma: Sigebertus quoque incusat Dogobertum expilatarum Ecclesiirum, et mira quaedam, licet non sine superstitione, memorat de iis, quae acciderint post obitum huius regis, ad A. 645. De Carolo Martello, qui sub titulo Praefecti regiam complexus potestatem est, memorant A. Fr. A. 737. Hic vestigalem fecit gentem. Martellum sequitur Pipinus, et novum tributum imponit. A.E.758. Acerbum hoc genti, et plane intolerandum. Propterea indignari, mox ulcisci, et excurrere in Francici regni fines, et praedas agere coepit. Scriptor vitae K. M. anonymous tacet hanc causam, dixisse contentus, Karolum in comitiis VVormatiensibus decreuisse Saxonibus bellum. Idem afferit Scriptor, qui sondidit Francicos annales A. 772. Ceteri annalium Scriptores eadem pene verba retinent. Retinet Monachus Prumiensis in Cbr. A. 772. Abbas Stan-*

den-



densis vocibus saltem paulum mutatis reddit auctorem annalium Francorum. De reliquis non attinet monere. Tantummodo Eginhardus, sanctior Caroli M. scriba (non gener) hanc sibi vindicat laudem. Is belli initium signat, causam exponit de vit. Carol. M. cap. 7. Eginhardum descripsit Adamus Bremensis H. E. l. i. cap. 6.

(r) Gratum Deo pignus, pietas : sancta nomina, religio, dignitas sacrorum. Valent in toga, valent in sago, momentumque habent apud defensuros. Invadendi titulum non praebent. Prohibent literae diviniores hunc abusum. Propagandi Imperii artes a prudentia, ius, iuris titulus a iustitia depromuntur. Est belli fas, pugnare adversus hostes. At quinam hostes? qui iniuriam inferunt. Hanc ulcisci, gloriosum, propulsare, honestum. Religio-  
nis certe obtentu capeſſere bellum, exuere fortunis gentes, iniuſum. Iam babes, quod iudices de bello Carolino, Praecipuam huius causam a Religione arceſſit Eginhardus. Bellum, inquit, ſuceptum est, quia Saxones, ſicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, et natura feroceſ, et cultui Daemonum dediti, noſtraeque religioni contrarii, neque divina neque humana iura utl polluere, vel transgredi in honestum arbitrabantur. Hactenus Eginhardus: totidem verba retinet Magister Adamus. Ferociam, miror, quod imputet. Iisdem ſane coloribus alii depingunt Francos. Rolevin- cius poſtulat crudelitatis. A multis aemulatio obicitur. Sed fuerint feroceſ. Fuerunt autem, cum depellerent ſervitutem, cum affererent libertatem. Nil prodest cauſae Francorum. Belli cer- te iustitiae non ſufficit. Percurrat, qui velit, capita Fecialis iuriſ. Manifestum erit, quod diximus. De cultu Daemonum fa- teor grandem errorem, et recitatu foedum. Colligo hinc, pec- caſſe in Deum, quatenus natura, cognitum violaffe partem iuris inſiti, recessiſſe a praefcripto religionis naturalis. At qui vero hic pro Eginhardo argumentum, novus bello Carolino titulus? Imo ti- tulus. Satis speciosus pro iustitia armorum. Si modo ſatis ſolidus et ſuffecturus tantae moli. Eſto vero genti gentis cauſa permis- ſum, vindicare publicum Dei contemptum, quatenus religioni natu- rali adverſum. Negabunt Saxones, ſe contempſiſſe. Ut qui pro ſacris ſuis tentare omnia, mortem oppetere ipsam non recuſarint. Stat pro Saxonibus Adamus Bremensis, ante hunc VVittichindus

Monachus. Qui per exprimit significanter affectum eorum erga sacra, dum veneracione veneratos scribit. Superstitiosa quidem devotio, sed non coniuncta cum contemptu Dei, multo minus cum iniuria Francorum. Si tamen statuerunt in Francos exempla poetarum, reddere ius iuri, aut ut ipsi arbitrabantur, rependere injuriae vicem, ac supplicia suppliciis ulcisci voluerunt. Nam quae apud Francos religionem, apud Saxones labem habebant: quae illeis sacra, his profana videbantur. Documento sunt Fresones, veteres Saxonum populus, qui Bonifacium A. 754. non ob aliam causam peremerunt, quam quod praedicasset contra sacrum avitum, contra instituta maiorum. An. Fr. ad. b. A. Ut non magnopere sit mirandum, cur VVittekindus dato ab antecessoribus exemplo gratus sit in Francos, cur persecutionem, ut dicitur Bremensi l. i. c. 9. moverit in Christianos. Sed alius contemptus documentum a rerum creatarum cultu. Imo non contemptus, sed cognitionis, sed cultus Dei naturalis, licet plurimis erroribus intermixti. Argumento sunt tot numina, tot numinum nomina, tot templa apud antiquissimam hanc gentem. Vnum dolendum, quod recta non revertint via ad culum, quod veri Numinis investigationem suspendent. quod rectae rationis inquisitioni obicem posuerint, quod fingere denique multa maluerint, quam indagare. Negligentiam scitandi incuso. At multum distat negligentia a contemptu. Ingescendi hic necessitas mihi, non Francis inferendi belli. Sicut vero id de religione naturali batteanus, ita de Christiana omnium constat evidenter. Toto errant coelo, qui ad laedendas gentes, ad cienda bella, ad exuendos fortunis suis populos traditam putant. Reclisime in hanc rem iam olim pronunciavit Caietanus. Verba Grotius habet. Quod temerasse divina humanaque iura recensuit, ad pacta fortean spectat. Sed quae pactorum speranda fides est, cum mutua aemulatione rumpuntur? Cum exempla adsunt ab altera parte ruptorum? Cum augentur aemulationes, cum iniuriae cumulantur. Multa in recessu habent, quae hic prodidit VVittichindus. Saxones, inquit, variam fidem Francorum experti. Quod de finibus conturbatis cum applaufore Bremense l. i. H. E. c. 9. recitat, habet pondus. Nisi tamen haec Saxonum facta praesumpto cuidam iuri innitantur. Lis de confiniis erat. Ius Franci allegabant, Saxones non secus. Hoc nomine fiebant

siebant caedes, rapinae. Non a Saxonibus solis, sed, ut auctor Egin-  
bardus, vicissim. Qui legem ferret? Ut ergo populus liber erat. Ar-  
bitro uirinque delecto opus fuit, cum neuter invito alteri limitem po-  
nere posset. Quae enim pars potestas in parem? Sed fortasse hic la-  
tuit arcanum Francorum. Romulus sane nulos regno suo fines ponere  
voluit. Ut nunquam deesset materia bellandi. Callide satis, si satis iuste.  
Hoc certe est affectare causam belli, non habere. Multi haud secus su-  
spicantur de Francis. Demum hic notari velim, differre quæstiones  
de bello Saxonibus inferendo, et de illato. Ibi Francorum ius, hic fides  
præbet materiam reprehensioni. Huc digitum intendunt Regino  
778. An. Er. A. eod. et 782. 793. Vbi rebellandi consuetudo Saxonibus,  
tyrannis VVittekindo exprobratur. Eodemque pertinet, quod Abbas  
Stadensis imputat crudelitatem in Christianos, ut quibus vim, arma,  
gladium intentasset, A. 788.

(s) Tempore Valentiniani Imperatoris copias, vires, consilia  
iunxerunt adversus Romanos. Richimeri ævo Francis auxilia sum-  
misserunt. Illi his adversus Thuringos, hi illis adversus Gotbos. Unus  
fidem faciat VVittichindus. Saxones, inquit, summa pace quieve-  
runt, societate Francorum atque amicitia usi. Sed ut omnia, ita ami-  
ciciae quoque mortales. Facesse saepe amor in odium, cum nulla ex  
amore utilitas, contra ex odio quæstus speratur. Prima odii, post  
odium dissidii causa aemulatio. Invidebant Franci Saxonibus lau-  
dem bellicae virtutis. Ita metuebant potentiam, rati non profuturum  
in rem suam, tam potentibus amicis uti. Hinc Regi Theodorico a  
suis in os dictum, a Saxonibus olim ruinam Imperio Francorum immi-  
nere, ut qui indomiti essent, iuxta que invicti. Hinc redacti in gra-  
tiam Thuringi, Saxones pro hostibus habiti. Hoc Theodericianæ  
fidei gratitudinique specimen fuit. VVittich. Ann. I. Laudat P. Aemi-  
lius suos Francos. Ego meos Saxonas. Hi apud Marcellinum Romanis  
formidabiles, apud Diaconum terribiles, Francorum ipsorummet sen-  
tentia præstantes corpore et animo viri audiunt. Sententiae sum-  
marum habet VVittichindus. Nil defuit genti in parte fortitudinis. So-  
la defuit pietas Christiana. Atqui òaec svadenda, non armis incuti-  
enda erat. Invitare, obtestari, monere per Antistites, pulchrum et  
pium: vim, minas, ferrum adhibere, illicitum erat et iniquum. Vnum  
vel in transcurso hoc venit in mentem mirari, cur Eginbardus praeter

ad, quod Saxones turbatorum finium accusat, non aliud causae Francorum praesidium quaerat. Quaerere autem forte potuisse in capite denegati tributi. Quod superiori tempore impositum, nunc detrectasse Saxonas, non suspicaberis ex vano. Adeo obtendebant causam libertatis, quam vel vitae redimere iactura, pro glorioso habitum. Primo perniciosa genti obstinatio. Mox salutaris, ad ultimum orbis Christiano profutura in exemplum. Quam enim difficiles recipiendis Christi sacris, tam retinendis postea & constantes fuerunt. Veneror coeleste arcanum, dum principium contemplor, et aestimo eventum.

XI. Res a suis repetenda principiis est. Annus agebatur supra septingentesimum primus et septuagesimus, initium amplificandi Francorum regni. Decesserat vita Carolomannus, Caroli, quem titulus magni illustravit, frater. Sic factum, quasi fatis ducentibus, ut regni moles rediret ad unum, Carolo suppeteret materia crescendi. (i) Principio res domi ordinatae: tunc de exterris cogitatum. Regnandi auspicium a pietate coeptum est. Inde propagandae ardor Religionis inflammavit Regem. (ii) Habitae consultationes seqventi anno, et VVormatia Comitiis delecta. Deliberandi argumentum Saxonici mores sumebantur. Ordines, Purpurati que omnes, et populus universus, belli, quod Saxonibus destinabatur, consilium probant. Causa persuadendi non una. Erant, qui referrent, Saxones socrorum iure abusos. Alii causabantur, Christiani interesse exempli, ut fauna extructaeque ad foedos cultus arae diruantur. (x) Dirui autem non posse sine bello. Vertere in hoc Dei, Regisque honorem. Consilio respondit decretum. Mox sumpta arma sunt et in Saxones conversa.

(t) Abbas Stadenus scribit. Carolus ad capiendum ex integro Regnum intendens animum, in villam Corbanacum venit. A. 771. Hactenus regnum inter fratres divisum erat: Carolus Noviomus, Carolomanus

nus

nus Svesfione regium insigne capit. Aut. vit. Car. M. A. 768. Nunc sublato fratre, solus rerum potitur.

(u) Poeta Vetus A. 775. Hinc statuit, requies illis ut nulla daretur: donec gentili ritu cuiusque relicto, Christicola fierent, aut delerentur in aevum. Nec potuit inficiari hoc Abb. Stad. A. 775. Si utriusque fides, immite Caroli consilium fuit, et certe praeludium Hispanici moris. Cuius in India documentum integrum gentium excidia praebent. vid. Bartolomaeus de las Casas, Episcopus Hispanus, in de script. Ind. Latine, et non ita pridem Germanice edit. Neque hic ab uno alterove ad omnes, a Canibalibus, de quibus est in Christoph. Columb. navig. cap. 87. et 88. ed. Basil. ad universos Indos colligere licebat. Sed tam facile praeposterus ille ardor in saevitiam definit, cum debuisset in comitatem. Nempe homo Carolus fuit. Asperum dictu, et nibilo mitius auditu, vel uno praelio immensam hominum multitudinem consumere. Consumpsit autem Carolus prope Thietmelle et fluvium Basam, alii Hasam scribunt. Vid. An. Fr. A. 783. Aut. Vit. Caroli M. Spangenberg. A. 783. Vestigia castrorum Carolinorum ad Hasam positorum bodieque a VVestphalis nostris monstrantur: conf. Crantz. l. 2. Sax. p. 32. Vix conventum de pace erat, cum bellum restauratur, cum clades audiuntur, Saxonibus prius morituris, quam laturis iugum. Praeteribo severitatem saevitiae proximam, quam describit Abb. Stad. 782. Nec attingam iudicium illud Vebmicum, gravissimum assertum viris, P. Aemilio, VVern. Rolevuncio, Abb. Spanheimensi, Aeneae Sylvio, Io. Aventino, Alberto Cranzio, Erdvino Erdmanno, Felici Fabri, scriptori annal. Sver. Davidi Chytraeo, Bernardo Furmerio, Vbboni Emmio, Henrico Meibomio, Io. Iust. VVinkelmanno, aliis multis. Quod si fuit, cruentum fuit et vi tui manifestum, et iniustiae aspersum labe. Nec nulla VVipponi causa, ut postularet crudelitaris in vita Corradi Salici p. 430. edit. Pistorianae. Sed dubitant de eius veritate non pauci. Primus, quod sciam, inter recentiores dubitavit Hermannus Conringius. Post eum novitii alii.

(x) Nempe Carolo duo curarum capita, constituere Imperium et propagare fidem, fidei autem praescriptione indicere bellum. Sive quod putaret foedos cultus Christiano Regi non tolerandos, sive quod sibi regnoque inde promitteret maiorem sanctitatem, sive

C 3

quod

quod augendae potentiae existimaret momentum, Saxones hanc  
formidabiles, aut subiicere Francos, aut, si subiici non possint,  
coniungere cum suis, ut olim Romulus Sabinos coniunxerat cum  
Romanis. Auctor consilii creditus Alcuinus, qui paene is apud Carolum,  
qui Aristoteles apud Alexandrum fuit.

XII. Iam obfirmaverat animum Carolus, belli aleam  
tentaturus. Nec mora. Recta Saxoniam petit: copiae  
et vestigio sequuntur. Primus in Castrum Eresburgum  
(y) impetus factus. Fortuna pro Francis stetit. Saxo-  
nibus destructa Irmenfula, triste spectaculum fuit. Quid  
facerent Saxones? Pacis consilio belli calamitatem pre-  
vertunt. Annuit Francis, quasi cruentorum certami-  
num iam praesagus. Locus sarcinanda tranquillitati ad  
Visurgim conditus. (z) Veniunt Saxones, et datis ob-  
sidibus paciscuntur pacem. Sed fucus erat. Mox atro-  
cius surrexit bellum, cui gerendo datus Princeps VVit-  
tekindus, Heros sicut praepotentis auctoritatis inter suos,  
ita animi supra fidem.

(y) VVittekindi ductus diu Carolo obex, Francis omnibus in  
oculis fudes. Ille suis ingeminare iniurias, aestimare acceptas cla-  
des, et exaggerare causam ultionis, verbo demum praeshire et exem-  
plo. Hinc propensa in eum populi voluntas, sequi, laudare insti-  
tutum, et ducendi exercitus eligere Imperatorem coepit. Spangen-  
berg. Chron. Sax. A. 772.777.778. Propterea Scriptores Franci una  
omnes voce affirmant, Saxones suasu VVittekindi ad arma rever-  
sus. Hinc novus ille Saxoniae suae Arminius, turbator audit et  
tyrannus, cum revera liberator esset. Auctor Ann. Fr. non erubescit  
nostro dicam scribere: scribit autem ad hunc modum. Saxones,  
VVidichindo Tyranno annidente, Francorum terminos usque ad  
Rhenum ferro et igne devastant. Nempe olim Rhenus Christianae  
religionis in Germania limes erat. Iam penetrat ad Visurgim us-  
que et Albim.

(z) Eresburg tractu temporis Meresburg (hodie Stattberg)  
sive pudoris, seu religionis causa appellatum. De eo multa annotat  
Mei-

Meibomius, et ex eo VVinkelmannus, et praecipue aucto*r* monu-  
mentorum Paderbornensium p. 60. et 61. Castrum in edita rupe excita-  
tum, et situ atque arte, ut illa tempora ferebant, in Saxonia Cis-Ves-  
erana ad fluvium Dimelam, firmum, olim a Francis, nuper a Svedis  
bello tricennali occupatum. Vestigia, qvibus ad Irmensulæ sacram  
aditus patuit, frequentilitantium ingressu prorsus attrita invenient,  
qui eo veniunt, qui videbunt.

(z) Ann. Franc. A. 772. Qui Tacito et veteribus Visurgis,  
Tevtonicis scriptoribus VVisara. ut Abb. Stad. A. eod. plerisque VVi-  
soræ. Aut. Vit. Car. M. aliis VVisuracha, Ann. Fr. A. 882. Mu-  
ltis VVisera pariter ac VVisara scribitur, ut Reginoni aliisque.  
Hinc notum apud terræ mensores nomen cis- et trans-Veseranarum  
civitatum, de qvibus in bistoria Germanicarum rerum per disse-  
ruimus exqvisite. Eo pertinent cis- et trans-Albinae: in his ex-  
cellit Hamburgum, celeberrima metropolis, Ad. Bremens. l. 2. H.E.  
cap. 8

XIII. Prout natura, sic studium erat Ducis. In-  
genium militare, corpus (aa) validum et labori assve-  
tum. Ausus subinde egregii, usus rerum bellicarum ex-  
cellens. In acie instruenda prudens, in hoste aggredien-  
do cautus, in sustinendo constans apparuit. Si quid fe-  
cisset, cura, si expeditionem suscepisset, fortitudo perspe-  
cta est. Non nunquam astu, interdum vi, semper manu  
valida utebatur. Ignavia in castris probrofa, in acie ca-  
pitalis. Nec principes ipsi extra hanc sortem. Bertholi-  
di (bb) seu culpa seu vitium morte vindicatum. Nil de-  
fideratum in VVittekindo. Dignitas, prudentia haec ma-  
gnanimitate stabilita. Imagines exemplo, exemplum in  
virtute ostensum. Religio pertinaciter defensa, quamdiu  
de meliori non constabat. Qvod Carolo de VVittekin-  
di, id VVittekindo de Caroli sacris videbatur. Vterque  
hic quaerere asylum: sed dispar quaerentium causa, nec  
idem eventus. Tandem victrice Caroli fortuna animus

fle-

flexus. (cc) Occasio ex calamitate sumpta, calamitas ad aeterna gradus fuit. Nempe sic bona saepe in detrimentum, detrimenta contra vertunt in bonum.

(aa) *Corporis habitum ex imagine in fano Engerano posita colligunt. Cippus ibi visitur Herois. Versus recitat D. Chyträeus Chr. Sax. in VVestph. Imaginem pingit Petrus Albinus in Chron. Misn. p. mib. 439. et Balthasar Mentzius in Syntagmate, ut vocat, Epitaph. ante praefat. explicat VVincelm. descript. Sax. VVestph. p. 165. Ex imagine in cippo incisa multii am dudum Herois animum, gravitatem singularē aestimarunt.*

(bb) *Spangenberg. A. 772. Bertholdus hic unus primorum gentis memoratur.*

(cc) *Hoc rerum statu Saxoniam coaluit cum Francis. Extus tanti belli hic fuit. Vicerat Carolus Saxones, non ut servient, sed ut iisdem legibus, paricūm Francis iure atque dignitate viverent. Ab hoc tempore summa utriusque gentis invicem officia viguerunt. Ac vero in unam coivisse Rempublicam, testis est Eginhardus. Bellum, inquit, constat esse finitum, ut Francis adunati, unus cum eis populus efficeretur, de vit. Car. M. cap. 7. Eginhardum, ut alibi solet, iterum hic exscribit Adamus Bremens. H. E. lib. 1. c. 7. Contra quam id proditum de Slavis est, qui subiecti Francis, non adunati dicuntur. Neque id solum de Slavis, populo non Germano, sed etiam de ipsis Germanis eventus comprobavit. Nominatim id constat de veteribus Toringis, Bois, qui non cives, uti Saxones, sed meri subditi Francorum facti sunt, ut demonstravimus in historia Caroli M. Hinc si quid a Regibus gestum publice est, coram populo Francorum atque Saxonum dicitur gestum. Diserte VVitichindus: qui olim socii erant et amici Francorum (erant autem Saxones) iam fratres, et quasi una gens ex Christiana fide facta est. Ann. I. Propterea idem in rebus Imperii ius suffragii, idem in Comitiis sedendi bonos. Alibi VVitichindus. Omnis, inquit, populus Francorum atque Saxones, iam olim designatum Regem a Patre filium eius Oddonem elegit sibi in Principem; Similiter Abb. Stad. A. 936. Otto Magnus elititur ab omni populo Saxonum et Francorum. Is Saxones praeponit, forte non obscuro iam aemulationis utriusque gentis argumento. Vid. VVitichindus An. I. p. 16.*

Sci-

Scilicet indomitus inter clades populus, et nullius obsequii servilis patiens: non superiori hostium virtute, sed sua tandem lasitudine, et surgente in ultionem Numine victus est. Eos pectant exempla pavoris Saxonibus divinitus incussi, apud Adonem edit. Basil. p. 210. Meliori loco fuerunt Franci, quibus aliquando aer tellusque militarunt, apud Bunting. in Chron. Bruns. p. 27. Haec que ex scriptoribus antiquissimis rerum Francicar. quanquam id vix simile vero videatur ob omnes casis Carolingicis vicinos. vid. Not. in monument. Paderbornens. p. 68. De cetera verum est, quod literis mandavit Balth. Mentzius Epitaph. VVitteb. l. i. VVittekindum cessisse Carolo, sola Caroli mansuetudine allectum atque delimitum, nulla, nec adversa, fortuna fractum. Fassus ipse Carolus est, nullum sibi, nullum Francis laboriosus bellum fuisse. Annis duravit tribus & triginta. Eginb. cit. l. Consertit Poeta anonymus de rebus gestis Car. M. Adamus Bremensis H. E. l. I. cap. XII. et l. I. cap. VII. Quanquam in codice Ranzoviano XXX. anni numero conciso, et quem vocant, rotundo expressi sunt. Ac illum sequitur Bangert. not. in Helmold. l. i. cap. III. Conf. Meibom. in in VVittich. p. 44. P. Bertius rer. 2. Com. Germ. p. 239. et 303. numerat annos XXXV. Minus recte, cuiusmodi est, quod Rolandum Caroli sororis filium nulla fide ibidem prodit. VVittekindus non amplius triginta annis interfuit. Hinc Monachus Corbei. VVittekindus, inquit, bellum potens gessit contra Magnum Carolum per triginta ferme annos. Septendecim expeditiones in Saxoniam suscepas memorat Spangenb. ab. A. 772. usque ad ann. 785. Septima et decima VVittekindi ad verae fidei cultum adducti exemplum habet. Nec idem tamen genti, qui VVittekindo, animus fuit. Illa enim exacto septennio ad arma et pristinam superstitionem rediit. VVittekindus constans permanxit. Emmius A. 758. 790.

XIV. Defesso bellis Carolo, pacem habuit VVittekindus. Missi vicissim legati et admissi. Carolus impune veniendi fidem dedit, ac datam obsidibus sancte confirmavit. Internuncius Amalvvinus (dd) idemque sumpiti dissidii, et reconciliatae iam gratiae testis. Accipitur comiter, et tractatur prolixe. Sanctur inter utrosque aeterna pax, et mutua fide firmatur. (ee) Populo quies, ad recreandum ex continuo bello animum, concessa. Ab eo tempore perseveravit in amicitia Carolus, in pace VVittekindus, Princeps re et nomine Magnus, et late propagatus

ris familiis clarus, (ff) et Ducis contentus dignitate. Posteri regnis, imperiis inauguriati, utiles terrarum orbi Principes. Quid utiles? Necessarii plane, et sustinenda rerum moli pares extiterunt.

(dd) Alius scribitur Aluvinus. Scriptor Vitae Caroli M. Amaluvenom, Abbas Stadenensis quendam Aulicorum vocat, A. 758. Abbatem, ut solet, sequitur Crantzius in Sax. l. 2. Vir enim fuit honoratus, nec inter processus Caroli postremus. Autor Annal. Fr. refert, ad fidem Caroli venisse, id est, ut mediæ aevi indoles erat, fide publica a Carolo data. Regino affirmat, VVittekindum et Albionem sacramento firmatos, id est, promissi religione certos redditos, se dedisse in viam, et perrexisse ad Carolum. Una obsides acceptos testatur Chron. l. 2. ad A. 785. Demum Carolum in pago Attinia-co (aliis Altiniaco:) convenerunt. Praeter veteres vid. Vbb. Emmius rer. Eris. d. 785. et Apolog. p. 35. Turbat nonnihil et mutat Crantzius Sax. l. 2. cap. 23. A. cod. In eo, quoad meminerim, omnes consentiunt, VVittekindum A. C. 785. Christi sacris initiatum. Hoc mibi indicium, VVittekindi reconciliationem, et sacrum adeo eius lavacrum quindecim annis antea cessisse Imperii Carolini dignitatem. Disceptant hic acriter, quis Heroem in xenit sacro fonte. Ludgerus, an Bonifacius, an Heribarius? Patris lustrici officium a Carolo M. impletum. Hinc Crantzius in Sax. Rex, inquit, suscep- pos in gratiam iussit baptizari, ipse suis manibus VVitedkindum, honoris gratia sustollens. Revocato ex tenebris pro nigro album insigne additum a Carolo aiunt. Ceterum tot laboribus perfuncto, tandem explenda mortalitas fuit. Sepulchrum, cui exuviae illatae sunt, Engeræ positum membra Henricus Buntingus, et cum hoc multi. Alii Paciornae tumulo conditum tradunt, ut Io. Tobias VVellerus.

(ee) Alius VVittekindi, ac multitudinis sensus. Ille civitati Francorum ascripus, dignitate atque affinitate Francica amplissime auctor. Eo referri possunt Francici annales, Scriptor Vitae Caroli M. Monachus Prumiensis, Monachus Benedictinus, Amoninus, Sigebertus Gemblacensis, Abb. Stadenensis. Cum VVittekindo fuerunt potissimi Saxonicae Nobilitatis, inter hos Albion, primarius post VVittekindum, et Dux Trans-Albianus, cum domestici ac gentiles eius ferme omnes. Haec (multitudo) postero tempore exuit fidem, armis ad vindicandam superstitionem resumptis. His rebus tandem acerba victoris severitas provocata est. Vbi notem in extremo, Carolum plurimos in Saxoniam Episcopatus condidisse. Laudo pietatis opus. Pruden-

dentiam agnosco. Causa destinationis occulta, animi certe hic sensus erat, Religione magis Saxonum animos regi, quam armis. Vetus hoc regnandi instrumentum, piissimis saepe principibus usitatum. Exilium quoque pulcro Coloniarum nomine velatum. Augendae Reipublicae praetextus, re vera opprimendarum virium consilium fuit. Saxones in Galliam, Galli in Saxoniam traducti. Crantzius Sax. l. 2. cap. 22. Quod intelligo potissimum de Gallia Belgica, Germaniae regno innexa. Hinc Beatus Rhenanus in Germaniam secundam traductos afferit, l. 1. rer. Germ. p 141.

(ff) Comites Oldenburgici ex stirpe VVittekindi, hodierni Daniae Reges ex stirpe Oldenburgica descendunt. vid. Crantzius, Reineccius, Io. Velde, VVinkelmannus, in recensenda prosapia hac curiosi. Qui commentarios familiarium ediderunt, gnaviter nervos intendunt, ut confirment, VVittekindum non solum Germaniae, sed etiam Galliae Italiaeque amplissimas ab se editas familias dedisse. Hic memoro i. Saxonico. VVigbrechticam. 2. Saxonico-VVethinensem seu Ditgremicam. De quibus nolim quenquam temere dubitare. 3. Capetinam, quae magnis in Gallia propagata auctibus est. Sed hoc praecepue in dubium vocant doctiores: exponunt que insuper civilem rationem, propter quam ea opinio invaluerit. VVilbelmus Nangius Monachus ex edit. Pithecan. nugas, credo, agit, dum Capetingos arcescit a Carolingis. Sed multa sunt, quae alias in fide illius monachi desideramus. Franciscus Hottmannus in Francog. p. 240. approbare sat agit, Hugonem Capetum Otonis I. Imp. ex Havide sorore nepotem esse. Henricus Buntingus in Chron. Brunsvic. p. 26. tradit, Hugonem magnum, unde Galliae regibus origo est, descendere ex VVitekindo. Addatur Chytraeus p. 48. et cum hoc multi. 4. Montisferratensem, quae in Italia crevit. 5. Allobrogicam, quae Sabaudiam decoravit. Huc digitum intendit auctor Candiae, ut vocat, angustatae p. 81. dum Sabaudum vocat Saxonico Heroum sanguine satum. At recedit ab opinione hac, et una recedit a Lampadio suo Hermannus Conringius in notis ad eum p. 184. 6 Ringelheimicam. Haud praeterierim hoc loco, Marchiones Brandenburgicos, ex altera, quae Marchiae post Slavos praefuit, familia ortos, descendere ex posteritate VVitekindi. Quod a Georgio Sabino memoriae traditum pereleganter est. Conf. in vita eius Petrus Albinus. Simul observo, VVittikindeos surrexisse, inclinantibus iam fatis res Francorum. Causa in Francis, quorum in Franciam redditus non parum obfuit maioribus incrementis. In Ludovico IV. Arnolphi fatalis potentiae terminus fuit.

## SIGHARDVS

Dieterichus

Edelhardus.

VVERNEKINVS.

Albion. VVichbertus. Hermannus. Bruno Hafala. VVITTEKINDVS M.

VVichbertus.

VVittekindus II.

VValbertus, Bruno. Fridericus. VVittekindus III. DITGREMVS.

qui caruit pro-  
le mascula.

Ditmarus.

Ludolfus

Bruno, ab hoc Tanvardus. Otto.

Dieterichus.

Brunonis vicus.

Henricus Auceps, Rex.

Dedo. Fridericus.

Otto M.

Henricus I.

Imperator.

Dieterichus II.

Otto II.

Henricus II.

Dedo. Timo, Marchio Misniae.

Otto III. Henricus III.

Dedo Conradus.

Imperator.

Otto Dives. Dieterichus III. Dedo.

Henricus Illustris.

Albertus. Dieterichus IV.

Alberus. Dieterichus V.

Fridericus.

Fridericus Gravis.

Fridericus Strenuus. VVilhelmus I. Balthasar. Ludovicus Episcopus

ERIDERICVS Bellicosus, a

Sigismundo Imp. Septemvir creatus, Fridericus Pacificus.

et post

et post'iminio reversus ad ius Saxonici Palatinatus. De Friderici matrimonio , et qvod eius nomine ipsi obvenit, vid. VVolfgangus Moller. in Orat. de vit. Bertold. princip. Henneb. in reliquis conf.P. Bertius in comment. rer. Ger. l. 2. cap. II.

FRIDERICVS II. Clemens,Elector, Continuationem alias locus, aliud institutum poscit.

I. Observo, certissimum Historiae Genealogicae, quatenus continua eamque indubitatem seriem habentis characterem hic sumi a VVittekindo M.

II. Nota in hac genealogia sententiarum conflictus, qvos recitavimus §. 6. (h) Alii enim Ottones Augustos a Brunone, fratre VVittekindi, alii a nepote huius nominis accersunt. Alii contra de Brunone Nepote tacent. Multi prorsus negant, Ottones a VVittekindo M. arcessendos. Qvod si negant, etiam a Brunone, tanquam VVittekindi nepote, arcessendos negabunt. Sed negantibus his derogamus fidem, denegamus assensum.

III. Lis vertit nihilo minor, utrum Ludolfus VValberti filius, an ex fratre Brunone, quem allegavimus, nepos fuerit ? Nobis posterius arridet. Sic reddidimus familiam, familiae seriem, prout ex animo visum. Quid alii sentiant, supra dictum.

1. Haud supervacuum duxi, illud, qvod coepi argumentum, accessionibus qvibusdam consummare, et, qvod sive utilitas, sive voluptas svadet, unam alteramve ex cognato historiae genere controversiam expedire.

2. Incepto convenit, uti videamus de officio Augustali, qvod Marescallatus, et styli Romani aemulatione in alia, atqve adeo Romano-Germanica republica, Praefecti praetorio munus vocant. Cuius initia qvam alte qvidam repetant, non sum nescius: ego, cui pauca dicenda sunt in hoc transcursu, sentio, non proferri ultra XII. seculum posse. Arcessoqve illud ab auspiciis Friderici Aenobarbi, et qvan-

qvanquam concedo facile, multo ante in Teutonicorum imperatorum aulis et viguisse hoc, et obitum fuisse sacri imperii munus; tamen nego pernegoque, prius habuisse hereditariam legem, quam rerum potiretur Fridericus I. Auctor est VVitichindus, compositis Saxoniae annalibus clarus, Ottoni I. quatuor Duces fecisse officium ritus Augustalis. Episcopus Merseburgensis, fide perinde ac iudicio sincerus, memoriae tradit, Ottone III. celebrante anniversarium resuscitati Christi sacram, splendidissimo ministerio quatuor Principes esse functos. Recenset Saxoniae Ducem, et suo exprimit nomine, affirmans, praefuisse equis, hoc est, munus Archimarescalli impleuisse, sed pro illo tempore non tam perpetuo iure, quam iussu singulari Imperatoris, et, ut tunc aestimabant, argumento peculiaris beneficii ac favoris. Demum Aenobarbi aevo prosapiae additum hoc decus, et iusto ordine transmissum est ad successores. Ut nunc expeditum fit intelligere, quid fuerit, quod ab hoc primum tempore certae alicuius familiae principes AB OFFICIIS Augustalibus memorentur. Scriptores aevi medii OFFICIALES signant.

3. Et id, opinor, iterum documento est, fuisse usumensis Mareschallici ante partam septemvirum Augustalis dignitatem. Cum pro vero accipiant historiae nostrae periti omnes, seculo primum XIII. salutaribus Germaniae initiis coepisse definiri numero Principes, qui et nominarent et eligerent suis suffragiis imperatorem.

4. Neque eo secius de Rutaे insigni observare integrum est, sumisse a principio Ascanios, et ab his transiisse ad VVittikindeos, veteres illarum terrarum, respectu quarum imperatoris Friderici auspicio concessum est, heredes.

5. Ex quo apparet denuo, Rutaе sertum usurpasse Saxoniae Duces nondum honore Septemvirum auctos.

Vul-

*l. 4. Conf. An-  
nal Lauter-  
bergiani.*

Vulgo Albertum, nos Bernhardum Alberti Vrsi filium, primo huius gentilitii insignis laude impertitum sec. XII. nominamus. Hinc Abbas Stadensis, Bernhardus, inquit, Comes de Anehold suscepit Ducatum Saxoniae, A. 1180. Atqui eundem inaugurationis diplomata gestandi ruta, insignis beneficio affectum confirmant. Assentiuntur Albertus Crantzus Sax. l. IX. cap. 19. Georgius Fabricius de Elector. Sax. in Bernard. II. cum his Spalatinus, et novissime Spenerus in Syllog. p. 249. Sed discedunt plerique a nobis, et primordia gestati insignis repetunt ab Ottone Henrici Leonis nepote, alii a prioribus retro ducibus: utrique praeter verum.

6. Etiam reperiuntur hic, qui peraudacter scribant de Saxoniae Palatinatu, et quum non habeant, quos sequuntur sententiae suae auctores, seqvi tamen se fingant. Nec dubitant, neque in hac parte obnitionem, origines eius referre ad Carolingos. Namque isthac munere et decori imperii, et necessitati serviebatur: nec obscura est nobis ratio, nec fugit rerum Teutonicarum gnarus, cuius summa eo valet, quod, quum Saxones in Francorum civitatem ascripti, servassent usum Saxonici iuris, nec Francia Francico recessissent, duos ascisci oportuerit Palatinos, alterum in orientali Francia, alterum in Saxonia iuri dicundo praefutrum. Sed si, quando iure hereditatis tradi coeperit, quae ras, appellabo sec. XII. et una appellabo Friderici I. largitionem.\*

\* Sec. XII. Septembiratus Saxonicus aeterno iure Saxoniae Palatinatui innexus, usumq; consuetudine saluit, sec. XIV. firmatus est publica imperii lege.

7. Burggraviatus, qui dicitur Magdeburgicus ab Ottonis I. aevio ad nostram usque memoriam hoc nomen atque dignitatem habuit. Prima eius monumenta servat Coenobium Gerundense: ad hereditatis leges multo serius redactum accepimus. Qvippe seculo tertio decimo adulto a dynastis Schrapelani delatus est ad Saxoniae Electores, duraturo ad-

omnes

omnes posteros iure. Transactiones super eo, nostro et superiori seculo initas, reiicimus in aliud tempus.

8. Desinam in VVittekindi, unde hoc opus crevit, postris, (a) qvi omnium primi Saxoniam nostram urbibus excoluerunt, et repertis auri argentiqve fodinis aureum Saxoniae seculum reddiderunt. (b)

(a) *Hos nequit pulchre monumentum Misenense in templo S. Afrae sacro.*

(b) *Ditmarus Merseb. Otto Frising. l.6. cap. 24. Sigebertus A.968. et ex eo aut. M. Ch. Belg. p. 79. Initia repetimus ab Ottone I. Errat hic Fabricius, qvi ab Henrico Aucupe.*

9. Excutiamus IIIX. et IX. seculum, arces et castella forte pro captu seculi aedificata reperiemus, urbium a nostris conditarum nec vestigia animadvertemus. (c) Eresburgum et Sigeburgum propugnaculorum forte speciem, non iustum urbium formam habuerunt. De Vvitberg, cuius Ado (d) meminit, satis est, indicasse, multum ab Urbium, qvas sive murus, sive vallum munit, mensura abfuisse. Ut non medio-criter impingant, qvi VVitebergam a VVitekindo M. extrectam asserunt. Nam de VVitbergo Adonis dici non potest, a VVitekindo excitatum, qvia fuit ante VVitekindum. Si nihilominus dicere pertendant, aedificasse VVitekindum, interpretabimur licentiam fingendi, qya historici in historicis minime omnium ferunt. Nos de cetero habeamus, monuisse, id muneris peregisse VVittekindi posteros, praesertim Henricum Aucupem, (e) et ipsius filios nepotesque Augustos, qvos signat monumentum Misenense, et Tabulae, qvas a seculo X. asservant nostri, sanctiores.

(c) *A. Fr. passim.*

(d) *Ac. 727.*

(d) *VVitechindus secul. X. Eresburg. et VVerlaon. in Urbibus numerat, Annal. I. p. 8. et 10. Abb. Stadens. A. 971. Magdeburgum commemorat metropolin inter Albianas Hamburgum enim sec. IX. A. 810.*

*Castellum, 833. civitas (non Vrbs) transalbina memoratur. De Veseranis alibi dicitur.*

• (S) (O) (S) •

10.7 W.C.

